Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35453
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

amatoribus suis / ¶ 3° comparatur
mundus mari in hoc / quia in mari
transeuntibus est periculositas
Sic et in mundo est periculosum et
magis quam in mari / quia ibi una
anima perit in mari centum pereunt
in mundo / quedam enim anime per superbiam
pereunt / quedam per avariciam / quedam
per luxuriam / Et ideo periculosius est
in mundo quam in mari / Ideo quam
periculosus sit status mundi Si
enim mortuus fuisses in utero
matris numquam faciem dei vidis-
ses Similiter si mortuus fuisses
post ortum ante baptismum Si
autem in etate adulta cum peccatis
mortalibus / ignibus infernalibus
deputaberis Considera ergo quam pe-
riculosus est status mundi / Si es
in peccatis potes in ipsis dampnari
Quid ergo facies ut pericula
evadas / Do tibi unum consilium
unam naviculam tibi ostendam
scilicet crucem Christi / si ad illam fortiter
te tenueris / numquam in anima pericli-
taris / Hec est navicula de
qua hodie legitur Ascendente
Ihesu in naviculam .i. crucem
dicit glosa / et secuti sunt eum
discipuli eius / Christus ascendit in re
corpore / discipuli desiderio et
mente / Ascende tu secum ut scilicet
firmam spem de passione habeas
ut passio Christi numquam a tua me-
moria recedat / et te a periculis
huius mundi eripiat et ad patriam
veram perducat

Tunc surgens Ihesus
imperavit ventis et
mari / Mt 8 / Evangelium illud
dicit quod Ihesus cum discipulis suis
fuit in mari et Ihesus dor-
mivit in navicula et orta est
tempestas in mari / ita quod discipuli
timuerunt et clamaverunt ad dominum
in mari dicentes / Domine salva nos
Tunc surgens Ihesus etc. Sicut
tunc discipuli timuerunt et ad dominum
clamaverunt in mari / sic et nos
clamare debemus ad dominum ne
periclitemur in mari huius mundi
Timuerunt se discipuli domini propter
tria / primo quia tarde fuit et sta-
tim nox sequebatur Sic et nos
debemus timere / quia tarde est / dies
vite nostre inclinata est / quia
forte sequitur nox eterne dampna-
cionis Et ideo debemus clamare
ad dominum et dicere / Mane nobiscum
domine quoniam advesperascit / ¶ 2° ti-
muerunt quia longe fuerunt a
terra et in medio maris Sic
et nos debemus timere quia longe
sumus a terra promissionis / mul-
ti enim longas dietas a terra illa
ambulaverunt quod forte numquam
redibunt / scilicet qui peccata peccatis